

Zbigniew DANEK

QUID ISOCRATES DE BENE SUA GERENTIS VIRTUTE EXCULTA IUDICAVÉRIT

ISOCRATES ON WELL CULTIVATED MIND

In his *Panathenaic* speech, Isocrates contrasts his own teaching program with traditional models of Greek education, both the earlier one and the more scientific one that is favoured in his times: his aim is to form the minds of students in such a manner that they can seize any opportunity that comes along, that in the social intercourse they always remain indulgent and patient, and – what seems the most important here – that they become able to endure both luck and misfortune with courage and appreciate not the things obtained merely by chance, but the ones gained by their toil and effort (*Panath.* 30–32). And Isocrates’ respect to steadily working mind becomes even greater with time: the result of such a labour must be some prudence (“*phronesis*”) – the aim of every justly conceived education. Isocrates’ “*phronesis*” is not Platonic excellence of mind, permanent and always the same, it is the skill and talent of discovering how to adjust to changing public affairs, but at the same time it shall remain constant and unchangeable in its imperative good – the benefit of Athens and its citizens.

Key words: Greek education, *phronesis*, Isocrates, Plato.

Panathenaicos qui dicitur *logos* Isocratis, sera celeberrimi rhetoris progenies, opus eius aliquot de causis peculiare existimari potest. Tot orationum auctoris prima fere haec est, ubi amatissima ei Atheniensis civitas dignis laudibus extollitur, non sicut prius vice secundaria commemorata, sed – quod ipse testificatur – summum propositum studiumque laudanti sibi facta¹. Altera ex parte inclinans fere ad hoc de mundo exitum auctor artem disciplinamque suam hic demum ipsius aliorumque iudicio examinat unaque contra obtrectatores defendit sua iuventutis conformandae ratione nec non exoptati cultus illius eventu exposito. Quae bene conformati animi condiciones conferuntur ab eo cum educatione Graecis propria vetere poetarum studio nixa recentioreque eius temporibus adhibita, qua geometrica, astronomica verbisque certandi facultas

¹ Cf. Isocr., *Panath* 35: Τότε μὲν γὰρ ἐν λόγοις περὶ ἐτέρων πραγμάτων ἐμμενήμη αὐτῆς, νῦν δὲ περὶ ταύτης τὴν ὑπόθεσιν ποιησάμενος. Isocrates, *Orationes*, vol. 2, eds. G. E. Benseler, F. Blass, Lipsiae 1904.

discentium animis traduntur (*Panath.* 26). Parva est Isocratis reverentia erga haec docentes illorumque disciplinam, cum utilis in cohibenda tantum iuventute ab aliter peccando ei videatur ipsique praeceptores et in sua administrando parum agiles et hominibus quibuscum vivant vix ferendi omninoque in aliqua virtute assequenda collabentes. Quorum defectibus sua virtutis excultae imago ab illo contra ponitur (*Panath.* 30–32).

Quattuor virtutis eius condiciones enumerantur. Constat hic cultus animi primum quaque temporis opportunitate idoneum in modum utendo atque frugifera cum effectu appetendo, in hominum coetu iuste et decenter deinde agendo aliorumque inurbanitatem vultu sereno ferendo, se autem illis semper iucundum modestumque praebendo, tum fortunae casibus digne fortiterque obstando nec rebus adversis neque voluptatibus cedentem denique similem in modum superbiam bene succedentibus rebus orientem cohibendo laetandoque iis potius, quae bona ipsius ope suaque prudentia parata sint quam nutu fortunae donatis. Quibus in proferendis aliquod incrementum conspici potest iam ipso Isocrate nuper dictum quartum illud maximum quoddam (μέγιστον – *Panath.* 32) appellante. Cum enim prima laudetur agilitas sola fortunae conversiones caute intuentis, cuius sit summum utilitati lucroque parando servire – συμφέρον (*Panath.* 30) illud appellatur – sequens effertur iam alia longe virtus gravis ad societatem hominum conservandam digne et iuste et moderate in sociali cum aliis commercio gerentis. Tertium quartumque supra enumeratum revocat in speciem singularis unius de se hominis curam, extollit tamen revera haec eius studia ad sublimiora etiam petenda: maxime laudabilem virtutem animi, qui nullo infortunio fractus nullo ex parte altera fortunae favore superbus efferatur. Talis est viri gaudere ipsius labore paratis et utramque in partem exsipientem animum mensurae finibus certis usque retinere. Itaque sublimiora illa Isocratea non se praebent caelestem quandam viam ad divinam animi excellentiam assequendam – studium sunt potius bene cultae mentis de statu suo aequabili retinendo in modum firmissimum dignumque homine humanaque natura communi (τῆς φύσεως ἀξίως ἥς μετέχοντες τυγχάνομεν – *Panath.* 31). Quae humanitas, id est animi nostri affectio naturalis, constat Isocrati certa quadam mensura et continentia, ita erga convivas suos ut in se ipsum suaque omnia quae continuo observari debeat². Nimia definitumque modum excedentia vitanda sunt ei etiam in iis, quibus nixi praesidiis in vita agimus. Quae duo – praeter illum nutum fortunae – distingui possunt: sua cuiusque indoles et, quibus haec adiuvari aut etiam substitui possit, strenui hominis labor curaque de parandis bonis assidua.

² Quod praeter alia homini una honesta et utilia summum fere apud Isocratem ab iis, quos educandos curat, observari debet, est in agendo et sentiendo vitare omnia extrema (avoid extremism of all sorts – J. Ober, *I, Socrates... The Performative Audacity of Isocrates' Antidosis*, [in:] *Isocrates and Civic Education*, ed. T. Poulakos, D. Depew, Austin 2004, p. 26).

Utrumque de duobus in Isocrateo cultu animi exposcitur. Cum enim dicit de condicionibus quibus ad se discendi causa venientes obstrictos tenet, praeter illud „bene gigni” (πεφυκέναι καλῶς), id est bene ab ipsa natura instructum esse, etiam alterum expostulat: educari (παιδευθῆναι) scientia cuique eiusque propositis idonea nec non porro exerceri (γυμνασθῆναι) in illa usui suo recte adhibenda³. Et inter utrumque eligere diiudicareque, labor naturae laboribusve illa anteferri debeat, difficillimum fere unaque gravissimum Isocrati apparet, cum „male partis” (τοῖς κακῶς πεφυκόσιν – *Antid.* 274), id est naturali indole egentibus, nullam docendo tradi posse virtutem existimet, attamen altera ex parte illud nasci ingeniosum simillimum esse, ni idem fere, atque fortuna favente (εὐτυχία) frui censeat, quae sicut maiorum hereditas nulla nostra procuratione nulloque merito casu quodam temerario nobis delapsa sit⁴. Quaestio eo est difficilior, quod natura in bene agendo plurimum valente, cum nulla ad illa praeparatio educatioque animi nullum fere in modum utilis videretur, ipsum Isocrateum munus ea docendi in dubium adduceretur. Qua in re diiudicanda labantem se ille Atheniensium educator praebet, et prius prolatam aliquando de natura praevalente sententiam magnam partem derelinquentem. Cum enim florente aetate sua in oratione *In sophistas* scripta iuvenes nisi sufficienter natura aptos cum in contionibus agendi facultatem tum aliquam prudentiam et iustitiam doceri non posse censeat⁵ illaque eadem fere in multo posteriore *Antidosi* repetat⁶, iam in hoc ipso sermone ad laborem studiumque naturae atque fortunae anteferendum inclinatur (291–292 – v.s.). Qui enim ex eius sententia casu fortunae innata sibi facultate oratores periti facti sint, sponte loquentes optima in dicendo non assequuntur, considerate eoque necessitatibus sufficienter magis ii solum loquuntur, quibus insita sit haec facultas sapientiae studio et cogitatione

³ Isocr., *Antid.* 187: Λέγομεν γὰρ ὡς δεῖ τοὺς μέλλοντας διοίσειν ἢ περὶ τοὺς λόγους ἢ περὶ τὰς πράξεις ἢ περὶ τὰς ἄλλας ἐργασίας πρῶτον μὲν πρὸς τοῦτο πεφυκέναι καλῶς, πρὸς ὅπερ ἂν προηρημένοι τυγχάνωσιν, ἔπειτα παιδευθῆναι καὶ λαβεῖν τὴν ἐπιστήμην, ἣτις ἂν ἦ περὶ ἐκάστου, τρίτον ἐντριβεῖς γενέσθαι καὶ γυμνασθῆναι περὶ τὴν χρεῖαν καὶ τὴν ἐμπειρίαν αὐτῶν.

⁴ Cf. *ibidem* 291–292: ἔν γε τοῖς ἄλλοις ἐπαινοῦμεν τοὺς ταῖς φιλοπονίας ταῖς αὐτῶν ἀγαθὸν τι κτήσασθαι δυναθέντας, μᾶλλον ἢ τοὺς παρὰ τῶν προγόνων παραλαβόντας, εἰκότως συμφέρει γὰρ ἐπὶ τε τῶν ἄλλων ἀπάντων καὶ μάλιστ’ ἐπὶ τῶν λόγων μὴ τὰς εὐτυχίας, ἀλλὰ τὰς ἐπιμελείας εὐδοκιμεῖν.

⁵ Isocr., *In soph.* 15: ἡ δὲ παιδείσις τοὺς μὲν τοιοῦτους τεχνικωτέρους καὶ πρὸς τὸ ζητεῖν εὐπορωτέρους ἐποίησεν, οἷς γὰρ νῦν ἐντυγχάνουσι πλανώμενοι, ταῦτ’ ἐξ ἐτοιμοτέρου λαμβάνειν αὐτοὺς ἐδίδαξεν, τοὺς δὲ καταδεεστέρην τὴν φύσιν ἔχοντας ἀγωνιστὰς μὲν ἀγαθοὺς ἢ λόγων ποιητὰς οὐκ ἂν ἀποτελέσειεν; cf. *ibidem*, 21: οὐδεμίαν ἡγοῦμαι τοιαύτην εἶναι τέχνην, ἣτις τοῖς κακῶς πεφυκόσιν πρὸς ἀρετὴν σωφροσύνην ἂν καὶ δικαιοσύνην ἐμποιήσειεν.

⁶ Isocr., *Antid.* 274: Ἐγοῦμαι δὲ τοιαύτην μὲν τέχνην, ἣτις τοῖς κακῶς πεφυκόσιν πρὸς ἀρετὴν σωφροσύνην ἐνεργάσαιτ’ ἂν καὶ δικαιοσύνην, οὔτε πρότερον οὔτε νῦν οὐδεμίαν εἶναι.

(φιλοσοφία καὶ λογισμῶ)⁷. Et *Panathenaici* sermonis supra allatum locum inquirentes hanc eius sententiam usque firmiorem factam esse statuimus, cum cedat fortuna iis, ipsius cuiusque opibus – id est natura ac etiam prudente consilio (διὰ τὴν αὐτῶν φύσιν καὶ φρόνησιν) – quae oriantur perficianturque (*Panath.* 32, cf. *Antid.* 290).

Per naturam et prudentiam orta nobis „a principio”⁸ bona magis valent Isocrati quam eadem sorte naturali obvenientia. Quod in speciem non consistens videtur, explanatur sine ulla difficultate, cum una ex parte illud „dia” respiciamus, cuius sit utriusque de duabus iis in petendis bonis studium et laborem indicare, ex parte autem altera „prudentialia” dictae vocem notionemque diligentius examinemus. Quae „phronesis” nullius in animum ab ipso natu illapsa, per annos continuato labore exercitationeque strenue studentibus demum excolitur⁹, cum autem iam excolta sit, adhibetur a digne sapientibus solum, sicut optime quondam de Atheniensium civitate merentes Solon Cleisthenesque fuerant¹⁰. Est Isocrati haec sapientis prudentia virtus quaedam prae ceteris eximia iuncta artissime cum civium salute beneque civilibus rebus consulendo, quae ad munera suorum animi discipulorum praeparantur.

Accommodatur itaque – hoc saltem in casu – humana virtus semper iniquo publicarum rerum cursui atque sicut apud Isocratem res est, aliquando bellantem se aliquando autem paciferam atque concordem praebet. Ipse enim cum secundum quandam utilitatem unum in tempus laudibus bella extollat¹¹, tum non

⁷ *Ibidem*, 292: Οἱ μὲν γὰρ φύσει καὶ τύχῃ δεινοὶ γενόμενοι λέγειν οὐ πρὸς τὸ βέλτιστον ἀποβλέπουσιν, ἀλλ’ ὅπως ἂν τύχουσιν, οὕτω χρῆσθαι τοῖς λόγοις εἰώθασιν· οἱ δὲ φιλοσοφία καὶ λογισμῶ τὴν δύναμιν ταύτην λαβόντες, οὐδὲν ἀσκέπτως λέγοντες, ἦττον περὶ τὰς πράξεις πλημμελοῦσιν. In unum fere supra „dia dyoin“ compacta fors et natura testimonio fiunt evidenti admodum, quod ipsa ingenita animi indoles fortuito quodam casu obveniens virtus existimanda non fuerit Isocrati eoque minus laudanda quam laborantis strenuitas.

⁸ Illud „a principio” (ἐξ ἀρχῆς – *Panath.* 32) aliter atque ceterum laudabili Britannico operis translatori non ad hominis ortum, sed ad primum etiam tempus dicta bona parandi referendum videtur, docente Isocrate fortunae nullo accessu tota illa in extenso ipsius studentis opibus parta esse. Cf. *Isocrates, with an English Translation by G. Norlin*, II, London 1929, p. 393 (“from their birth”).

⁹ Cf. Isocr., *Ad Demonic.* 40: Πάντων μὲν ἐπιμελοῦ τῶν περὶ τὸν βίον, μάλιστα δὲ τὴν σαντοῦ φρόνησιν ἄσκει- Isocrates, *Orationes*, vol. 1, eds. G. E. Benseler, F. Blass, Lipsiae 1907. Cf. Isocr., *Antid.* 271: σοφοὺς μὲν νομίζω τοὺς ταῖς δόξαις ἐπιτυγχάνειν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦ βελτίστου δυναμένους, φιλοσόφους δὲ τοὺς ἐν τούτοις διατρίβοντας, ἐξ ὧν τάχιστα λήψονται τὴν τοιαύτην φρόνησιν.

¹⁰ Cf. Isocr., *Aeropagit.* 14–16.

¹¹ Isocr., *Archid.* 49: Ἐγὼ δὲ πολλοὺς μὲν οὐδὰ διὰ τὸν πόλεμον μεγάλην εὐδαιμονίαν κτησαμένους, πολλοὺς δὲ τῆς ὑπαρχούσης ἀποστερηθέντας διὰ τὴν εἰρήνην. Vox est verum enim vero Archidami illius sua gerentis, attamen – quod recte Iosephus Macjon quondam animadvertit – Isocratis ipsius sententia eadem fere aliquando profertur, commemorantis – exempli gratia – prosperitatem, per bella cum barbaris gesta quae Graecis orta sit (*Panath.* 167 – cf. I.

tam longo interiecto tempore de pace, summo cum studio statui et servari universa quae debeat, strenuissimus agit (*De pace* 16, 25). Accusatur igitur, quod sophistica ratione temporibus inserviens omni fide atque veritate neglecta utramque in partem agit¹². Non talis est eius contraria suadentis animus, non enim ad auditorii favorem solum propriaque studia vox et sententia eius accommodatur. Est publica gentis suae utilitas, cuius est et concordia inter se iungi et secundum necessitatem bellare. Non favet enim Isocrates Heracliteo certamini solum nec Eleatarum quieti, sed virtutem suam necessariam ad perstandum inter tot externa et domestica pericula prudens ambiguum efficit utramque in partem agilem. Est eius agilitatis et servari e belli certaminibus cum gloria (μετὰ καλῆς δόξης) et in illis pulchrum in modum mori (καλῶς ἀποθανεῖν)¹³ et loqui sufficienter et denique sicut publica ita sua prudenter moderari. Poscunt idoneam semper actionem agilitatemque tempora – καιροί, sed non omnia virtutis humanae ponit Isocrates in temporibus obsequendo. Haec hominis excellentia – ceterum quae per ipsum „aretes” suum nomen idem ei magnam partem esse videtur atque ceteris placere probarique consensu quodam communi¹⁴ – coniungitur enim apud eum cum prudenti quadam continentia (σωφοσύνη)¹⁵, cum pietate (εὐσεβεία)¹⁶ et iustitia (δικαιοσύνη)¹⁷, cum sapientis denique prudentia (φρόνησις)¹⁸ – cum omnibus iis, quae praeter temporum discrimina civilesque dissensiones constantia et laudabilia existimantur.

Constans eodemque in iudicio perseverans dici Isocrates revera non potest, at altera ex parte non exiit etiam firma quadam laudabilique honesti et pravi existimatione. Iudicio suo morali perstans enim sequitur quoddam semper decens et omnibus bonis probabile¹⁹. Cum autem aptat suam gerendarum rerum aestimationem recte agendi necessitatibus, haec mentis moderatio splendori potius ei quam ignominiae fieri debet. Publici commodi administer de tribus bonorum generibus, quae apud eum ad beatum humanae mentis statum, tum ad publicam utilitatem denique ad animi excellentiam terrestria praetereuntem referenda distingui possunt, haec eligit ceteris omnibus anteponenda, quibus

Macjon, *De sophisticae boni et mali rationis vestigiis apud Isocratem obviis* [*Ślady sofistycznej teorii względności dobra w pismach Izokratesa*], „Meander” 35/3 (1980), pp. 97–110 [105–107].

¹² Est ille accusator Paulus Harding – I. Macjon, *op. cit.*, p. 107.

¹³ Cf. Isocr., *Ad Demonic.* 43.

¹⁴ Cf. Isocr., *Antid.* 84, 278.

¹⁵ Cf. Isocr., *In soph.* 6 (τοὺς δὲ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν σωφοσύνην ἐνεργαζομένους).

¹⁶ Cf. Isocr., *Panath.* 183 (ἀρετῆς ... τῆς τοῖς καλοῖς κάγαθοῖς τῶν ἀνδρῶν ἐν ταῖς ψυχαῖς μετ’ εὐσεβείας καὶ δικαιοσύνης ἐγγιγνομένης).

¹⁷ Cf. Isocr., *In soph.* 21 – v.s., cf. Isocr. *Panath.* 183 – v.s.

¹⁸ Cf. Isocr., *Antid.* 84: Οἱ μὲν γὰρ παρακαλοῦσιν ἐπὶ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν φρόνησιν.

¹⁹ Cf. S. Halliwell, *Philosophical Rhetoric or Rhetorical Philosophy? The Strange Case of Isocrates*, [in:] *The Rhetoric Canon*, ed. B. Deen Schildgen, 1997, pp. 107–127, p. 121 (a standard of acceptability or reasonableness [“decency”] of moral judgment).

cultis civium suorum prosperitas crescere possit. Aliter atque Socrates magister quondam suus ductus, aliter atque Plato sibi tum consimilis tum adversarius factus de anima morti immortalitatisque praeparanda curare desinit omni studio ad vitam, terrestris quae nobis addicta est, tuendam collato. Itaque moralis eius disciplina nullis fixa aeternitatis terminis necessitate cum flexibili vitae cursu exposcente quandam in agendo commutationem conveniens facta est, firma tamen et integra ipsis in principiis suis salutaria semper civibus proponendi defenditur. Cui muneri optime quoad posset perficiendo totam etiam Isocrates artem disciplinamque suam persuadentem in modum loquendi accommodavit – elocutionem agendo pro civium bono idoneam factam²⁰.

Conspicitur aliquando Isocratis cum Platone dissensio orta, aliquot in modos explanari quae potest, conspicienda mihi quidem videtur mira et inexplanabilis Socratis apud Isocratem oblivio – cuius in scriptis dilecti quondam illius discipuli nulla fere de magistro mentio facta est²¹. Et non de philosophia eiusque proposito lis est inter Platonem et Isocratem. Oritur per Atheniensium rerum civilium regiminis existimationem contrariam, altero ad illic praestanda munera suum aliorumque animos praeparante, altero autem omnia eiusmodi negante atque mentis cursum alias in regiones dirigere iubente. Et dominationi publicae invitus Plato magnam partem suo in iudicio Socratis ipsius sententiam secutus esse videtur, accusabatur qui de sorte constituendi imperii auctoritate labefactanda²². Haec probare non potuit Isocrates, qui per omnem vitam suam publicae rei servitia fidelia offerebat usque ad munus fere ultimum, cum bene culti animi „maximum” quoddam esse existimavit illud rebus secundis non extra modum extolli, semper se τῆ τάξει – in acie sane prudentium continentem. Et illa acies – civium Atheniensium communitas salutem suam continuo tuenti illi, aliter atque magistro quondam interempto, mutuam gratiam reddebat.

²⁰ Cf. T. Poulakos, *Speaking for the Polis. Isocrates' Rhetorical Education*, Columbia 1997, p. 22 (rhetoric, as speech leading to action for the benefit of the polis).

²¹ Vix intelligendum videtur Isocratem, Platonis in *Phaedro* qui puer Socrati amabilis – παιδικά (279b 2) ab ipso appellatur, tot in operibus suis – praeter *Busirin* unum, ubi res ipsa coegit eum bis philosophum commemorare (4, 3; 5, 9) – nullo locorum dignam illius nomini gratiam absolvisse.

²² Cf. Xenophons *Memorabilien* I, 2, 9. ed. W. Gilbert, Leipzig 1896.